Viro Clarißimo,

D. JOHANNI SMITH

S. P. D.

ANNA MARIA A SCHURMAN.

NIhil mihi, Vir Reverende, tua antiquitate visum est antiquius. neque aliud munus, quod perinde nobis, tum novitate, tum raritate placuisset, mihi mittere potuisses. De referenda verò gratia quam tibi nunc habeam hoc nomine maximam, non multum fateor me laborare, quando nihil inter utrumque (si qua Tullii autoritas est) interesse putandum est. Quod tamen eo non affero, quo nomen (id enim ultrò profiteor) minuerem: sed ut hac ratione gratiam tibi & semper habendo referre & vicissim referendo habere possim. Sunt autem revera in hoc scripto (ut ad doctissimum tuum Commentarium revertar) non pauca quæ magnopere mihi tuos thesauros visendi desiderium

derium auxiſſent, niſi jampridem perſpectum habuiſſem quam non vulgare aut humile oporteat eſſe quod Smithium noſtrum delectat; aut ſi quid forte per ſe tanti non ſit, nihil obſtare quo minus ab æſtimatione tua pretium ac ſplendorem mutuari queat: cujus rei ſpecimen nuper dediſti in diſticho elegantiſſimo quo effigiei noſtræ & formam & gratiam quam ei ars mea negaverat, conciliare voluiſti. Vale. Ultrajecti, IV. Kal. Febr. CIↃIↃCXLV.

Frater meus te peramanter ſalutat, idem & ego facio.

Viro Clariſſimo,

D. CONSTANTINO HUGENIO

S. P. D.

ANNA MARIA

A SCHURMAN.

Ne putes, Vir Illuſtris, te ſerò miſiſſe hoc munus perquam eximium: cum ejus generis ſit, ut nun-